CONJURATIONES POTENTISSIMÆ,

Ad Fugandas Tempeſtates

A DÆMONIBUS,

Seu ab eorum Miniſtris excitatas: Unà cum Imprecationibus, & Maledictionibus, contra Animalia, fructus, ac fruges vaſtantia: ac etiam, cum Agrorum, Vinearum &c: ac Seminis Bombicum: & ſuper Ægrotantes Benedictionibus in fine additis.

Omnia ab approbatis Auctoribus in ſenti Opuſculo breviter collecta.

AUCTORE

M. R. D. P. DOMINICO DOMESTICO

EXORCISTA PLEB. ALLIATI.

ex libris ad usum D. Mauritij

BRIXIÆ, MDCCXXVI.

Sumptibus Caroli Gromi

Superiorum Permiſſu.

à S. Joseph.

3

A. 51209
BK

CONJURATIONES POTENTISSIMÆ, Ad Fugandas Tempestates.

Antequam Sacerdos incipiat hoc officium debet habere indubitatam fidem de Misterijs Jesu Christi, & Fidei Catholicæ, cui etiam addenda est puritas conscientiæ, vel per Sacramentum pœnitentiæ, vel saltem per actum contritionis; quia licet Sacerdos potestate Sacerdotali oret in persona Ecclesiæ, tamen ejus oratio est efficacior, quando ex parte ejus est munda, quia habet efficaciam ex parte Ecclesiæ, & etiam illius Sacerdotis, qui tamquam amicus Dei meretur exaudiri.

Cum primùm autem videbitur tempus tempestuosum insurgere, statim pulsentur Campanæ, & Sacerdos super pelliceo, & Stola indutus flexis genibus ante Altare faciat sibi signum Sanctæ Crucis dicens. In nomine Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus Sancti. ✠ Amen.

ACtiones nostras, quæsumus, Domine aspirando preveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper inci-

piat, & per te facta finiatur. Per Christum Dominum. Amen.

Deinde cum humilitate faciat confessionem generalem.

EGo miles Jesu Christi Confiteor Deo omnipotenti &c. Misereatur nostri omnipotens Deus &c.

Indulgentiam, absolutionem remissionem peccatorum nostrorum &c.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui &c.

Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum, neq; vindictam sumas de peccatis nostris.

Salvator mundi salva nos. Sancta Dei genetrix protege nos. Angeli, Archangeli, Throni, & Dominationes, Principatus, & Potestates, Virtutes Cœlorum, Cherubim, atq; Seraphim, Patriarchæ, & Prophetæ, Sancti legis Doctores, Apostoli, omnes Christi Martyres, sancti Confessores, Virgines Domini, Anachoritæ, Sanctique omnes intercedite pro nobis.

℣. Domine averte faciem tuam à peccatis nostris.

℟. Et omnes iniquitates nostras dele.
Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

OMnipotens, sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia majestatis adorare unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab hac tempestate, & ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS.

CLementissime, & misericordissime Deus, à quo omne bonum sumit initium, & semper ad potiora progrediens percipit incrementum, intercedente gloriosa Virgine Maria, totaq; Cœlesti Curia concede, quæsumus, ut, quod ad gloriam tuam, & ad fedandas istas tempestates, ac revolutionem aeris, Dæmonumq; confusionem inchoare aggredimur, æterno tuæ potentiæ munere ad desideratum portum perducamur.

NE despicias omnipotens Deus populum tuum in afflictione clamantem, sed propter gloriam Nominis tui tribulatis succurre placatus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Sacerdos ſtans extra Eccleſiam aſpergat aquam benedictam contra tempus tempeſtuoſum, per quatuor latera in modum Crucis ✠ dicens.

PEr hanc aquam benedictam omnis ſpiritus immundus, & occurſus Sathanæ ſeparetur ab his nubibus, & fugiat à nobis tempeſtas iſta. In nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus † Sancti. Amen.

Deus noſtri cauſa natus eſt †, mortuus eſt †, & reſurrexit †. Sancte Deus †, Sancte Fortis †, Sancte †, & Immortalis miſerere nobis. Chriſtus † vincit, Chriſtus † regnat, Chriſtus imperat † vobis, nubes, & tempeſtates, ut diſſolvamini ſinè damnificatione bonorum Chriſtianorum.

Benedictio Dei Pa † tris, & Ei † lij, & Spiritus † Sancti ſit ſuper vos nubes, intra vos, circa vos, ante vos, poſt vos, & in omnibus partibus veſtris. Amen.

Benedictio † Jeſu Chriſti ſit ſuper vos, intra vos, circa vos, ante vos, poſt vos, & in omnibus partibus veſtris. Amen.

Virtus † Sanctæ Crucis ſit ſuper vos, intra vos, circa vos, ante vos, poſt vos, & in omnibus partibus veſtris. Amen.

Benedictio † Virginis Mariæ Matris Dei sit super vos, intra vos, circa vos, ante vos, post vos, & in omnibus partibus vestris. Amen.

Benedictio † Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei sit super vos, intra vos, circa vos, ante vos, post vos, & in omnibus partibus vestris. Amen.

DOmine Jesu Christe, qui Cœlum, & terram fecisti, & omnibus, quæ in eis sunt terminum, & finem posuisti, & multoties in nube apparuisti, & ad Cœlum iter habuisti, tuàque præsentia purificasti, & sanctificasti; dignare nunc benedicere †, disperdere †, adnihilare † istas nubes, grandines, & tempestates, & ab omni magica, & diabolica virtute, & potentia purgare; quæ omnia in tuo nomine, virtute, atq; potentia, ad tui honorem, gloriam, consolationemque tuorum fidelium termino †, destruo †, dissipo †, fugo †, liquefacio, & finem, ac terminum illis constituo, præcipioq;, nè ulteriùs veniant, sed in aquam mellifluam defluant, per te Jesu Christe Salvator Mundi. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos elevans Agnum Cereæ Papalis (qui est maximæ virtutis ob benedictionem P. P.) vel Sacras Reliquias ab Ecclesia probatas, vel aliquam Crucem parvulam dicat.

℣. Non nobis Domine non nobis,
℟. Sed nomini tuo da gloriam.

Da nobis auxilium de alto, quia vana est fortitudo hominis, & sic de cœlo exultabit anima mea ad reportandum triumphum.

CREDO IN DEUM PATREM &c.

Deinde faciat sequens præceptum efficacissimum contra aereas potestates cum fide magna.

IN nomine Sanctissimæ Potentissimæ, & individuæ Trinitatis, Patris †, & Filij †, & Spiritus † Sancti, ac præcipuè in virtute illius Dei excelsi, incarnati, invisibilis, coæterni; de quo, ò vos omnes iniqui, & rebelles spiritus à Cęlorum sedibus expulsi, à divinorum arcanorum tuba mirabilia personari audistis, cum cœlesti ipsa afflata spiritu divinitus intonuit:

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum.

Deum R. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit: & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, & habitavit in nobis (& vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti à Patre) plenum gratiæ, & veritatis. Deo gratias.

Per hæc Divina mysteria † extinguatur †, & dissipetur †, destruatur †, & fugiat † tempestas ista.

CREDO IN DEUM PATREM.

Te invocamus, te laudamus, te adoramus.

O' BEA'TA TRINITAS.

Spes noſtra, ſalus noſtra, honor noſter

O' BEA'TA TRINITAS.

Salva nos, defende nos, adjuva nos ab hac tempeſtate, & aeris revolutione.

O' BEA'TA TRINITAS.

Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in ſæcula ſempiterna

O' BEA'TA TRINITAS.

OREMUS.

OMnipotens, ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia majeſtatis adorare Unitatem: quęſumus, ut ejuſdem fidei firmitate, & ab hac tempeſtate, & ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Præceptum efficaciſſimum:

PEr ejuſdem ergo Divini Verbi Incarnationem †, carniſq; ipſius Nativitatem †, per virtutem, atq; potentiam † Divini Verbi in ſinu Patris æternaliter exiſtentis, per proceſſionem Verbi ab eodem Deo Patre

Di-

Divinitus manantis †, per coæqualitatem ejuſdem Verbi cum Deo Patre †, per unionem eſſentiæ indiviſibilem Dei Verbi cum Patre Deo †, per correlationem ejuſdem Verbi ad Patrem coæqualem ſibi, & coæternum Deum: per Sacram Conceptionem †, Nativitatem †, Annuntiationem, & Aſſumptionem Virginis Mariæ †, per ſublimitatem ejus, ac illarum Cœleſtium Potentiarum Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, cæterorumque Angelorum, & Archangelorum †, Thronorum, Dominationum, Principatuum †, Poteſtatum †, Virtutum †, Cherubim †, atque Seraphim, qui eidem Deo quotidie concinere laudes non ceſſant dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, & per Angelos noſtros Cuſtodes, & Advocatos iſtius Populi, & Status N. N. N.

Ego indignus Sacerdos Deique Omnipotentis miniſter, innixus illi (cujus vices gero) & ejuſdem armis munitus aggredior vos omnes Spiritus rebelles à Cœlorum ſedibus expulſos cujuſcumque generis, gradus, conditionis, naturæ, officij, & ſuperioritatis, ordinis, ac præeminentiæ ſitis, voſque aereas poteſtates ſive humanas, ſive diabolicas in hoc aere, vel ubique reperiamini, quibus

tacitè, vel expresse data est specialis potestas excitandi, concitandi, obligandi, conglutinandi istas nubes, grandines, ventos, & fulgura, & hanc totam revolutionem aeris, ligo †, & ligare, & astringere constituo: idcirco in Verbo potentissimi Dei incarnati exorcizo †, adjuro †, conjuro †, constringo †, ligo †, extermino † vos de aere, de nubibus, de grandinibus, de ventis: adjuro †, constringo †, ligo †, coarcto, dissipo vos de igne, de aqua, de cavernis petrarum, & montium, vos de summis, vos de abissis, vos aeras potestates humanas, atque diabolicas, vobisque obstantes, quò minùs mandata per me injungenda perfectissimè impleatis. Maledicat vos Deus Pater †, Maledicat vos Deus Filius †, Maledicat vos Deus Spiritus Sanctus †: Confundat vos Deus Pater †, Confundas vos Deus Filius, Confundat vos Deus Spiritus Sanctus †: Exterminet, enervet vos Deus Pater †, Exterminet fuget vos Deus Filius †, Coerceat vos, annihilet, auferat hanc revolutionem aeris Deus Spiritus Sanctus †: Liget vos Deus Pater †, Vinciat vos catenis indissolubilibus Deus Filius †, Irretiat vos vinculis fortissimis Spiritus Sanctus †. Iterum ligo †, ac ligare, & astrin-

aſtringere vos omnes conſtituo, præcipioque vobis omnibus, & mando, ac impero † ſub pœna excommunicationis, anathematis, & maledictionis Omnipotentis Dei Incarnati: indignationis Beatæ Mariæ Virginis, ac Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli: multiplicationiſque omnium ſuppliciorum Infernalium, etiam accidentalium, per mille gradus augendorum de momento in momentum uſque ad diem finalis judicij, ſtatim incurrenda; ut non præſumatis, nec audeatis, nec poſſitis ſub quocumque prætextu per vos, nec per ſuppoſitam creaturam, quoquo modo, perverſas generare, conglutinare, conglobare nubes; grandines, excitare; & concitare ventos, turbines, & fulgura in detrimentum Chriſtianorum: nec habeatis poteſtatem, nec vim in nubibus Cœli, nec in quatuor elementis, nec in omnibus, quæ de ipſis ſunt, vivunt, & permanent, nobis nocendi, neque aliquid mali faciendi ſuper campos, vineas, prata, oliveta noſtra, nec in Territorio noſtro, nec in iſta Provincia, quia ſic imperat † per me miniſtrum indignum Jeſus Mariæ Filius. Qui VERBUM CARO FACTUM EST ✻, & habitavit in nobis, naſcens ex Maria Virgine † per

ineffa-

ineffabilem pietatem, & misericordiam suam pijssimam; per intercessionem † ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, & Angelorum, Sanctorumque omnium dignetur nos præservare, custodire, & liberare ab hac tempestate, & revolutione aeris. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

O' spiritus quicumque estis, per Deum, qui vos creavit, desistite excitare, concitare ventos, fulmina, & fulgura; conglutinare, conglobare nubes, & grandines in detrimentum Christianorum, aliter maledico, & extermino vos illa maledictione, qua vos Deus maledixit, exterminavit, & fugavit in nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus Sancti †. Amen.

CREDO IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM &c.

Te invocamus, te laudamus, te adoramus
O' Beàta Trinitas.
Spes nostra, salus nostra, honor noster
O' Beàta Trinitas.
Salva nos, defende nos, libera nos ab hac tempestate, & aeris revolutione
O' Beàta Trinitas.
Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna
O' Beàta Trinitas.

Ora-

Oremus.

OMnipotens, ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia majeſtatis adorare Unitatem: quęſumus, ut ejuſdem fidei firmitate ab hac tempeſtate, & ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Exorciſmus contra tempeſtates.

COnjuro †, atque termino †, exterminо †, diſſipo †, liquefacio †, & adnihilo † vos grandines, ventos, turbines, fulgura, & hanc totam revolutionem aeris per Patrem †, per Filium †, per Spíritum † Sanctum verum, vivum, & unicum Deum †, per ejus infinitam potentiam, qua imperavit mari, ventis, & tempeſtatibus & ad honorem Sanctæ Reſurrectionis Jeſu Chriſti, gloriam Sanctiſſimę Trinitatis, & jubilationem Sanctorum hujus ſtatus, locique Protectorum, ac omnium Cæleſtium Spirituum, & ad conſolationem Chriſti fidelium, & ad confuſionem Dei rebellium, vos grandines, & tempeſtates maledico †, exterminо †, & adnihilo †, conjuro †, & aſtringo † per nomen Jeſu, & ejus nomi-

nomina eſſentialia, nominalia †, & per potentiam illorum, Omnipotentiſque Dei virtutem : ac per † Incarnationem †, Nativitatem †, Baptiſmum †, Mortem †, Reſurrectionem †, & Aſcenſionem † Domini noſtri Jeſu Chriſti : per amariſſimas ejus lachrymas † pro ſalute mundi effuſas : ac per ardentiſſimas lacrymas Beatiſſimæ Virginis Mariæ ejus Matris † ſuper vulnera ipſius hora veſpertina ſparſas : & per omnes lacrymas † à dilectis Dei effuſas, adjuro †, conjuro †, maledico †, fugo †, diſſipo †, & in aquam † reſolvo vos grandines per nomen Mariæ, & per omnia nomina illi aſſimilata : per ejus Conceptionem †, Nativitatem †, Annuntiationem †, & Aſſumptionem : per ejus Puritatem, Virginitatem †, Virtutem, atque Potentiam †: per Sanctos Joannem Baptiſtam †, Joſeph, Dominicum †, Antonium de Padua, & Euroſiam : per omnia corpora Sanctorum, quæ in terris locata ſunt †, per ſanctiſſimum Sacrificium, quod quotidie celebratur ad D. N. Jeſum Chriſtum : & per omnia veſtigia Jeſu Chriſti, Virginiſque Mariæ, ac ſanctorum, & ſanctarum Dei, ut protinus evaneſcatis, & in aquam reſolvamini.

Et

Et eadem poteſtate, quâ Chriſtus terminos poſuit aquis, ne tranſirent fines ſuos, & ventis præcepit, ut ceſſarent, & ſtatim facta fuit tranquillitas magna; ita vobis eadem poteſtate, qua fungor præcipio, & impero †, ut ulteriùs non procedatis, ſed in aquam ſine damno reſolutæ deſcendatis, nulloque modo ad iſtas regiones perveniatis.

Vobiſque ventis nobis adverſantibus impero †, ut ceſſetis, veſtriſque in locis ad Dei gloriam, & utilitatem Chriſtianorum manere debeatis: furorem, & rabiem veſtram contra vos excitantes ſpumare debeatis, & iſtas nubes ſinè detrimento diſpergatis, grandineſque, in aquam ſalutarem reſolvatis, aut in mare, vel in montibus infœcundis defluere faciatis, quia ſic per omnia à principio meæ conjurationis, uſque nunc per me miniſtrum indignum imperat Jeſus Mariæ Filius.

Qui VERBUM CARO FACTUM EST, & habitavit in nobis, naſcens ex Maria Virgine diſperdat †, annihilet † iſtas tempeſtates, conterat †, & diſſipet † omnes aereas poteſtates: Ille expellat, maledicat omnes excitantes concitantes iſtam revolutionem aeris †, avertatque ab hoc aere, & nubibus

bibus cunctas infestationes diabolicas; ille purificet †, benedicat †, & sanctificet † hunc aerem, nubes, territorium nostrum, ac Christianorum Regiones. Amen.

Hic Deus nostri causa natus est †, mortuus est †, & resurrexit †. Ave benignissime Jesu, Salvator Mundi miserere nobis, quia peccavimus: dissolve Domine † colligationes impietatis.

Oremus.

DOmine, Jesu Christe, qui Cælum, & Terram fecisti, & in flumine Jordanico baptizari voluisti, † benedicere, † sanctificare, † purificare, & infinitis tuis benedictionibus † replere istum aerem, & istas nubes dignare; ut per virtutem, ac potentiam tuam emittant, & defluant istas grandines in aquam naturalem resolutas; & per efficaciam Sanctissimæ Passionis tuæ, & precum Michaelis Archangeli, quem misisti in flumine Jordanis, ut costudiret illud, nè diabolus in eo potestatem haberet, & per merita, & donum Sanctæ Eurosiæ Virginis, & Martyris, ab hac tempestate liberemur. Qui vivis &c.

Pater noster. Ave Maria. Credo in Deum, &c.

J. N. R. J.

Consumatum est, & inclinato capite emisit spiritum.

Elevans Crucem †

ECce Crucem † Domini nostri Jesu Christi: fugite partes adversæ cujuscumque generis, gradus, conditionis, ordinis, naturæ, officij, præeminentiæ, & superioritatis sitis; ita præsentes, sicut absentes, sub quovis prætextu vocati, vel sponte missi per invocationes, incantationes, præstigia, sortilegia, quovis modo vel arte facinorosorum hominum. Nam ego conjuro † vos, exorcizo, & maledico †, excommunico, & anathematizo †, ut ab aere, nubibus, ventis, fulminibus, quovisve alio loco existentibus fugiatis, nullis relictis reliquijs maledictionis vestræ; sed remota omni diabolica arte, & fraude statim, dicto verbo, istas grandines, ventos fulgura, & hanc totam revolutionem aeris sedetis, dispergatis, adnihiletis; non obstantibus pactis, promissionibus, etiam juramento firmatis, factis, & habitis cum diabolicis personis; quæ omnia

auctoritate Sanctæ Matris Ecclesiæ, irrito †, casso, annullo †, vobisque præcipio †, ac impero †, ut nullo modo eis amplius obediatis, nec possitis per Deum vivum †, verum †, sanctum †, fortem, & immortalem †, Patrem †, Filium †, & Spiritum † Sanctum: & sicut Jesus Christus ligatus fuit in horto, & remansit ligatus usque ad præsentiam Summi Sacerdotis, ità vincti, & ligati, sitis, & remaneatis, ut amplius nulla sit vobis potestas excitandi, concitandi, conglutinandi nubes, conglobandi grandines, ventos, fulmina, & revolutionem aeris: quia ligatus ad columnam funiculis, & catenis, & flagellatus fuit; sic demiò ligo vos, & omnem vim, & potentiam vestram maledico †, termino †, dissipo †, simulque omnes personas diabolicas, atque potestates; sive diabolicas in aere, sive quovis alio loco naturali, vel innaturali forma existentes: & quia flagellatus fuit; ita sint à vobis flagellatæ, & acerrimis verberibus, ac fustibus afficiantur, usque ad emendationem, & resipiscentiam; nec per vos transformare; nec trasformari possint, nec ad habitationes proprias, nec ad Sathanicas congregationes conducere præsumatis, nec possitis: & si mihi

inobedientes estis; & eritis flagellio vos per omnia ligamina, flagella facta Christo; & invoco super vos omnes maledictiones Omnipotentis Dei, excommunicationes, iras, furores, tormenta, & pœnas, ac immissiones in stagnum ignis, & sulphuris per manus inimicorum vestrorum: sint super vos cunctæ confusiones, dolorum asperitates, & culmen omnium iniquitatum, tormentorum inundationes, impetus, calamitates, sagittæ, angustiæ, laquei ignei, incendia æterna ignis, sulphuris, furoris iræ Dei, ac indignationis B. M. V., & omnium Civium supernorum; & trado vos Lucifero Dæmoniorum Principi, omnibusque inimicis vestris Dæmonibus casu inobedientiæ, ut vos torqueant, exercitent, affligant, & dilapident, ac si realiter essetis in Inferno per virtutem Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.

Terminatio, & destructio Tempestatum.

CREDO IN DEUM PATREM &c.

PEr nomen ergo Jesu, & in virtute Verbi Dei Incarnati, cui omne genu flectitur Cœlestium, Terrestrium, &

& Infernorum; & per virtutem humanitatis ejusdem, & excellentiæ: nec non per Imperium Throni Sanctissimæ Trinitatis; per Puritatem, Sanctitatem, Potentiam, & illibatum corpus Jesu, & Mariæ, nec non per totam Vitam, & purum Amorem; simulque per merita omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, & præcipuè Sanctissimæ Virginis Mariæ Sacratissimi Rosarij, SS. Joannis Baptistæ, Joseph, Dominici, Antonij Patavienſis, Apostolorum Petri, & Pauli, & Evangelistarum Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis; trium Magorum Gasparis, Melchioris, Balthassaris, & centum quadraginta quatuor millium Innocentium, & decem millium Crucifixorum; & per merita SS. Ambrosij, Simpliciani, Caroli, Zenonis, Ubaldi, Julij, Antonij, Cipriani, Francisci, Honofrij, Christophori, Victoris, Thomæ de Aquino, septem Fratrum dormientium Maximi, Marci, Marciani, Constantij, Dionisij, Joannis, & Serapionis, qui in Christo dormiunt, & per merita, & donum S. Eurosiæ virginis & martyris, & per omnia mysteria à principio meæ conjurationis usque nunc; per merita Advocatorum, & Advocatarum istius Populi, nec non

Prote-

Protectorum Status N.; & tándem per merita totius Curiæ Cœleſtis auctoritate S. Matris Eccleſiæ qua fungor, maledico †, termino †, deſtruo †, diſſipo †, extermino †, fugo †, & liquefacio iſtas grandines, ventos, fulmina, fulgura, & hanc totam revolutionem aeris, ſimulque cunctas virtutes, atque potentias, ſive humanas, ſive diabolicas, & omne opus, ſignum, verbum, pactum, maleficium diabolicum, quomodolibet initum cum magicis, & diabolicis perſonis ad infeſtandum aerem, nubes, ventos, & cætera elementa pro diſſipatione meſſium, fructuum, & aliarum creaturarum Dei. Vobiſque omnibus præcipio †, impero †, conſtringo, atque coarcto vos per ſacra omnia nomina, & myſteria ſuperiùs relata, & ſub eiſdem pœnis ſtatim incurrendis, ut continuò cuncta vobis injuncta, & injungenda exequamini, & iſtas tempeſtates, & revolutiones aeris ſedetis, diſpergatis, & evaneſcere ſinè damno faciatis; In meique auxilium, ac verborum meorum efficaciam, contra vos invoco Santiſs. Trinitatem, ſcilicet Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, valorem, & efficaciam ſanctiſſimæ Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſimul-

mulque imploro sanctissimum Magnum, atque terribile nomen Sabaoth †, Saday †, Eseriæ †, Homousion †, Tetagrammaton †, Ely †, Eloy †, Eloa †, Agios, Otheos †, Athanatos †, Ischiros †, Ichææ †, Adonai †, & cætera ejus tremebunda nomina: imploro magnam potentiam Santiss. Virginis Mariæ, suamque pijssimam clementiam, quæ est dominatrix dæmoniorum, dissipatrix principum tenebrarum, virga dæmonum, pavor inferni. Maria est gloria omnium Christianorum, consolatrix, portus, & defensio oppressorum. Invoco ejus sanctum nomen, quod est Maria. Sancta Maria salva nos, libera nos, protege nos ab hac tempestate, & aeris revolutione.

Hæc igitur Virgo Maria Sacratissimi Rosarij, SS. Joannes Baptista, Joseph, Dominicus, Antonius Patavienſis, Eurosia cum omnibus supra invocatis Sanctis dispérdant †, dissipent †, annihilent † istas tempestates, & revolutionem aeris; vosque consternent, †, affligant †, torqueant †, perterreant †, cædant †, præcipitent †, verberent †, confundant, premant †, ac fugent †, condemnent †, incendant †, jaculis confodiant †, præcipitent; dolo-

res

res Mariæ, lacrymæ, labores, suspiria, tormenta gravissima, ac merita, & orationes prædictorum Sanctorum cogant vos sedare, adnihilare, & removere istas grandines, & revolutionem aeris à nostris Regionibus. Humiliter etiam invoco in meum auxilium illam fœliciſſimam & lucidiſſimã Militum Beatorum turbam, quam à Joanne audistis, & nemo dinumerare valebat stantes ante Thronum Dei, simulque invictissimum Cœlestium Armatorum exercitum, ut vos mecum conjurent†; adjurent†, & exorcizent†, ut in virtute Omnipotentis Dei Patris †, Dei Filij †, Deique Spiritus Sancti † cogamini Sacerdotis obedire voluntati, & continuò cedere; ac sedare, adnihilare, vel in montes infœcundos sinè detrimento transferre istas grandines: quæ omnia termino †, destruo †, extermino †, maledico, & ad nihilum redigo †, & ad omnem obedientiam † adjuro †, constringo †, conjuro †, & cogo † per omnia supradicta à principio conjurationis meæ; utq; istæ tempestates etiam adnihilentur, dissipen ur, & fugiant per merita, & coronas Sanctorum, & Sanctarum Dei †, per gloriam †, per gaudium †, per lumen †, per aureolas †, per vitam, & dona †, per

agilitatẽ, & impassibilitatẽm †, per subtilitatem, & splendorem eorum †. Verba igitur, ac virtutes, labores, fides, dolores, patientia, puritas, lacrymæ, sudores, singultus, gemitus, suspiria, & sanguis effusus Sanctorum, & Sanctarum Dei confondiant, feriant, cõgant, & æternis cruciatibus torqueant vos. In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus Sancti † Trini, Uniusque Dei, qui est Corona Sanctorum omnium. Amen.

CREDO IN DEUM PATREM &c.

Signando Nubes, & Revolutionem Aeris dicat.

SUper vos autem, & contra vos pertinaces sit incessanter maledictio, æternaque damnatio fugans †, & dissipans vos, potentiam vestram, & istas tempestates, & revolutionem aeris; vosque persequatur Crux ✠; & signum hoc † benedictionis Jesu Redemptoris nostri fuget, dissipet, adnihilet, & in aquam resolvat istas grandines; & ventos, turbines, fulgura, & fulmina sedet, & reprimat, vosque torqueat. Hoc signum † pueri Jesu vos deprimat: hoc signum † parvuli Jesu vos vincat: hoc signum † Dei Jesu vos liget: hoc

signum

ſignum fortiſſimi Jeſu vos fuget, ſimulque hanc revolutionem aeris ſedet: hoc ſignum † Altiſſimi Jeſu vos terreat: hoc ſignum † terribilis Jeſu vos flagellet: hoc ſignum † potentiſſimi Jeſu vos dilaceret: hoc ſignum † admirabilis Jeſu vos verberet: hoc ſignum † dulciſſimi Jeſu vos debilitet †, vos cruciet †, vos comburat †: hoc ſignum denique Sacroſanctæ Crucis †, quod validiſſima manus Jeſu conſignat, ſuper vos †, ſuper aerem iſtum nubes †, fructus, agros, & territorium noſtrum † cuſtodiat, protegat nos, & omnia bona noſtra; tranquillitatemque aeris nobis concedat, voſque condemnet. Amen.

CREDO IN DEUM PATREM &c.

Signando contra Nubes dicat.

PEr hoc igitur potentiſſimum hujus Divini Infantis Jeſu ſignum †, & benedictionem †, & per ejuſdem Sanctiſſimi Jeſu virtutem †, atque potentiam maledico †, termino †, diſſipo †, fugo †, liquefacio †, & ad nihilum redigo iſtas grandines, ventos, tonitrua, & hanc revolutionem aeris; voſque perfidos Dei rebelles exorcizo †, maledico †, excommunico †, con-

stringo †, cogo †, compello †, vobisq; viriliter impero † auctoritate mihi tradita à Sancta Ecclesia in solidissima Jesu Infantis virtute fũdata, ut meis præceptis, imò Jesu Christi, & in ejus nomine factis, & faciendis, velociter obediatis: vos ejicio †, fugo †, eradico † ab isto aere, & nubibus: vos flagello †, & omnes vobis faventes, sive sint Homines, sive mali Angeli: vos extermino †, enervo, & maledico, simulque istas grandines, ventos, & hanc totam aeris revolutionem: vos condemno † ob vestram contumaciam omnibus jam intimatis pœnis, & etiam augmento suppliciorum vestrorum accidentalium in singulis quibuscumque momentis, ita, ut nec minimam quidem partem per modicum sufferre valeatis. In nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus Sancti †. Amen.

Exorcismus contra grandines efficacissimus.

CREDO IN DEUM PATREM &c.

ADjuro †, conjuro †, destruo †, dissipo †, & in aquam resolvo vos grandines, & tempestates, per Patrem †, per Filium †, per Spiritum Sanctum †: per Sanctam Crucem †, in qua Chri-

stus

ſtus fuit conclavatus †: per Sanctos Clavos, qui Manus, & Pedes perforarunt †: per Lanceam, quæ Latus ejus apervit †: per Sanguinem, & Aquam de ejus Latere, ac de toto Corpore profuſos †: & per omnia †, quæ Chriſtus dixit, & fecit, & in tota vita ſuſtinuit, & toleravit, ut finè mora evaneſcatis, & in aquam reſolutæ deſcendatis, quia ſic per me indignum imperat Jeſus Mariæ Filius. ET † VERBUM CARO FACTUM EST, & habitavit in nobis.

Qui manifeſtatus eſt in Carne, juſtificatus in Spiritu, prædicatus in Gentibus, in Cruce occiſus, aſſumptus in Gloria, & ſedet ad dexteram Patris, ut credentium preces, & vota exaudiat, ipſe per ſuum Sanctum Nomen, cui omne genuflectitur, per ſuam Paſſionem, & Crucem, & per merita, & preces Sanctæ Mariæ Virginis, & Angeli Cuſtodis nos adjuvet, liberet, & cuſtodiat ab hac tempeſtate, Qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

ORATIO.

Dñe, Jeſu Chriſte fili Dei vivi, qui pro Redemptione Generis humani acerbiſſimum illum dolorem in Santiſſimarum Manuum tuarum, ac

Pedũ transfixione, charitate ſumma per peti dignemini: te ſupplices deprecamur, ac petimus, ut præſentem, alimque omnem tempeſtatem, ac Dæmonum perturbationem à termino iſto atque ab omnium Chriſtianorum finibus tua poteſtate arcère, atque per Sanctiſſimos illos Clavos, & Cruciatus avertere digneris. Qui vivis &c.

Extinguatur ergo in aere, & nubibus, in ventis, in fulminibus, in fulguribus, in grandinibus, in omnibus elementis, & in omnibus, quæ in ipſis ſunt, vivunt, & permanent, omnis virtus diaboli, ac malorum hominum; grandineq; ſinè detrimento in aquã deſinant per hoc ſignum ſanctæ Crucis †, quam contra vos facio, & per invocationem, & merita Sacratiſſimæ Virginis Mariæ, & omnium Angelorum, Archangelorum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & Dei Electorum; quos humiliter precor, ut dignentur pro nobis orare Deum, ut per ſuam pijſſimam miſericordiã nos liberet, & protegat ab hac tempeſtate, & revolutione aeris; ejuſque tranquillitatem, & aquam mellifluam ſuper agros, ſilvas, prata, & oliveta noſtra nobis concedat per te Jeſu Chriſte Salvator mundi.

Qui vivis, & reguás in ſæcula ſæculorum. Amen.

Expelle Domine Deus tua potentia iſtas tempeſtates, & malignos ſpiritus, per merita B. M. V., ac SS. Joannis Baptiſtæ, Joſeph, Dominici, Antonij Patavienſis, atque per donum, & merita ſanctæ Euroſiæ Virginis, & Martyris, nè fructus tua largitate donati, eorum inavidia, & feritate deſtruantur, ſed potiùs rore tuæ pietatis ad tuam gloriam nobis conſerves. Per Dominum noſtrum &c.

CREDO IN DEUM PATREM &c.

Exorciſmus deſtructivus grandinum, & coactivus contra aereas, & humanas poteſtates.

PEr omnia autem verba, & myſteria ſacræ Scripturæ: per omnem vim, & efficaciam eorum: & ſpecialiter per ea verba, & myſteria, quæ magis, & efficaciùs valent ad ſedandam iſtam revolutionem aeris: per omnes Orationes factas, faciendas, & quæ nunc fiunt in Cœlo, & in Terra: per omnia Sacrificia † Deo facta, & facienda: & per omnes Sanctos, & Sanctas Dei, omneſque Reliquias ſanctas, & ſacra Corpora eorum, quæ ſunt locata in Terris, & ve-

nerantur in tota Ecclesia: per omnia instrumenta Passionis Domini nostri Jesu Christi: per omnes Orationes, & Meditationes in eorum meditatione, & veneratione factas, & faciendas: per sancta septem Sacramenta à Domino nostro Jesu Christo instituta: & præcipuè per Venerabile, & Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, per quod reficimur, vivimus, & protecti sumus: per omnia Sacramentalia, Res sacras, & Loca sacra Deo dicata: per omnia Divina Officia, & Orationes, & Meditationes, quæ à Fidelibus in ipsis quotidie fiunt: per plenariam Potestatem summi Pontificis, & cœterarum Dignitatum, & Ministrorum sanctæ Ecclesiæ Dei: & tandem per Thronum Sanctissimæ Trinitatis; per Nativitatem, Mortem, & Resurrectionem Domini Nostri Jesu Christi; & per totã vitam, & passionem ejus SS. Virginis Matris Mariæ, ac Sanctorum, & Sanctarum Dei omnium, plena auctoritate sanctæ Matris Ecclesiæ, qua fungor, maledico †, termino †, liquefacio †, extermino †, dissipo †, fedo †, ad nihilum redigo † istas grandines, nubes, ventos, turbines, fulmina, & hanc totam revolutionem aeris: & omnes aereas Potestates, ac omnes Spiritus rebelles,

belles, Magos, Magas, Maleficos, & Maleficas, omnesque Incantatores diabolicæ artis, quovis modo tacitè, vel expressè ad hanc revolutionem concurrentes, & operantes ligo, & astringere, & ligare constituo; & omnem potentiam, vim, & virtutem, pactum, & promissionem maleficam factam termino †, irrito †, adnullo †, & cassо † auctoritate S. Matris Ecclesiæ: & adjuro †, conjuro †, constringo †, cogo †, præcipio †, mando †, & impero † sub pœna excommunicationis majoris, & minoris, & multiplicationis pœnarum infernalium, & tradendi vos sub potestate inimicorum vestrorum, ac furoris Domini nostri Jesu Christi, ac indignationis Virginis Mariæ, & SS. Apostolorum Petri, & Pauli, totiusque Paradisi, ut continuò istas tempestates, & revolutionem aeris sedetis, adnihiletis, & sinè detrimento ab istis finibus, & regionibus auferatis; & omnes operatores, & cooperatores humanos, seu diabolicos percutiatis, & repercutiatis, & ad honorem Dei, & consolationem fidelium sævissimis, attrocissimisque verberibus, & fustibus afficiatis usque ad emendationem. Amen.

Elevans Sanctam Crucem contra tempus tempestuosum dicat.

IDeò ò spiritus rebelles, ò aeræ potestates, ò vos omnes potestates, sive humanæ, sive diabolicæ excitantes, concitantes, moventes, impellentes, tacitè, vel expressè, hanc revolutionem aeris, ubicumque reperiamini, venite, & videte Signum sanctissimæ Crucis à summo Creatore nostro Jesu Christo consecratum, quia per virtutem illius nobis obedire tenemini: per Ipsum, vos omnes supra nominatos ligamus †, & potentiam vestram terminamus †, dissolvimus ‡, destruimus †, debilitamus †, & in fumum reducimus †, simulque istas grandines, tempestates, & hanc totam aeris revolutionem; quoniam verba Dei, quæ ex ore nostro exeunt, & ictus oculorum nostrorum sunt carbones ignis accensi, qui vos æternaliter comburent, & supplicia vestra in quibuscumque temporis punctis augebunt, & hoc est signum † per quod totus Mundus tremit, & omnis creatura contremiscit, & vos rebelles estis nostro Creatori.

Maledicti, excommunicati, & blasphemati sitis in cunctis generibus

æter-

æternalium suppliciorum, etiam accidentalium, de momento in momentum augendorum, usque ad diem finalis Judicij, nullaq; requies sit vobis; & mox obedite meis præceptis in nomine, & virtute Dei, & Domini nostri Jesu Christi vobis factis, & faciendis, & verbis, quæ dicuntur de Illo, qui Orbem contremiscere facit; nam ejus nomine, & virtute vobis præcipio, & impero †, ut statim sedetis, amoveatis, destruatis, adnihiletis, & à nostris regionibus auferatis istas grandines, ventos, turbines, fulgura, & hanc totam revolutionem aeris; nobis relinquendo aquam mellifluam, & aeris tranquillitatem in virtute istorum verborum: Messias †, Soter †, Emmanuel †, Sabaoth †, Adonay †, Athanatos †, Yschiros †, Eleyson †, Tetagrãmaton †, Dominus Jesus Christus †: per ista nomina, & per omnia supradicta à principio conjurationis usque nunc, vos malodicimus †, vos constringimus †, vos privamus †, vos expellimus †, vos & potentiam vestram terminamus †, destruimus †, & exterminamus †, simulque hanc aeris revolutionem; & omnibus pœnis contra vos fulminatis condemnamus: imò condemnat vos Deus Pater, Deus †

Filius †, Deus Spiritus Sanctus †, simulque tota Trinitas †. Fugite ergò maledicti, & istas tempestates à nobis auferte; & de cætero ad istas regiones non accedatis, & ampliùs tempestates non mittatis. Imperat vobis Deus Pater †, Imperat vobis Deus Filius †, Imperat vobis Deus Spiritus Sanctus †, Imperat vobis Sanctissima Trinitas unus Deus †, Imperat vobis Jesus Christus †, Imperat vobis dulcissima Virgo Maria †, Imperant vobis omnes Spiritus Beati præliatores fortissimi †, Imperant vobis Martyres victoriosissimi †, Imperant vobis Virgines de victoria psallentes †, Imperat vobis turba magna, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus stantes ante Thronum Dei †, Imperat vobis tandem Deus signaculo hujus sanctæ Crucis † ut à nostris regionibus fugiatis; & ego Sacerdos Dei vos maledico, vos fugo, & repleo cunctis maledictionibus æterni Dei, In nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus † Sancti. Amen. Pater noster. Ave Maria &c.

℣. Deus ✠ in adjutoriũ meum intende.
℟. Dñe ✠ ad adjuvandum me feſtina.
℣. Deus ✠ in adjutoriũ meum intende.
℟. Dñe ✠ ad adjuvandum me feſtina.
℣. Deus ✠ in adjutoriũ meum intende.
℟. Dñe ✠ ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri &c. Sicut erat &c. Allel.
Alleluja Alleluja.

Recitentur Litaniæ Beatiſſimæ Virginis, vel Hymnus Pange lingua glorioſi &c. In fine autem dicatur.

℣. Dñe paraſti nobis menſam ℟. Adverſus eos, qui tribulant nos.
℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

O R E M U S.

DEus qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue quæſumus ita nos per Corporis & Sanguinis tui ſacra myſteria ab iſtis nigerrimis ſpiritibus, & ab hac tempeſtate liberari, ut Redemptio-

ptionis tuæ, & hujus conceſſionis gaudia in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus &c.

Conjuro †, adjuro te †, aer vos, venti, vos nubes, vos grandines, vos fulgura, & fulmina, & omnia, quæ in vobis, & de vobis ſunt, vivunt, & permanent, ubique reperiamini, ſi aliqua virtus, & potentia, ſive humana, ſive magica, & diabolica, vel vana obſervatio in vobis ſint, quæ etiam mandatis Altiſſimi, per me Sacerdotem miniſtrum ejus factis, & faciendis adverſentur, & repugnent, voſque termino †, abſolvo †, diſſolvo †, debilito †, deſtruo †, diſſipo † auctoritate Divina, qua fungor, & fungi poſſum: ſimulque iſtas grandines, ventos, fulmina, & hanc totam revolutionem aeris ſedo †, extermino †, liquefacio, & adnihilo †: & ad honorem Dei, & jubilationem totius Curiæ Cœleſtis, ac utilitatem Chriſti Fidelium, & ad confuſionem Tartarorum, vos omnes maledico †, excommunico †, & repleo cunctis maledictionibus æterni Dei, Virginis Mariæ, & omnium Electorum Dei: teque, aer, ac vos nubes exorcizo †, conjuro †, conſtringo †, impello †, coarcto †, & vobis impero †, nè

†, nè istos spiritus nigerrimos, istas tempestates, ventos, fulmina, ac humanas, & diabolicas potestates in vobis retinere audeatis, nec valeatis: & omnia pacta, & promissiones cum diabolicis personis habitis dissolvo †, absolvo †, destruo †, & dissoluta esse decerno † Divina auctoritate, & potentia. Et eadem potestate, virtute, atque potentia, qua Dominus noster Jesus Christus præcepit, & imperavit aquis, nè transirent fines suos, & posuit terminos ventis, ut cessarent, & statim facta fuit tranquillitas magna; ita vobis grandines præcipio †, & impero †, ut ulteriùs non veniatis, sed continuò sinè damno in aquam naturalem defluatis: vobis autem, o venti nobis adversantes, ut ad locum vobis præscriptum ad honorem Dei remeetis, favorabiles insurgatis, & istas tempestates sinè damno dispergatis in mare, vel in montibus infæcundis: & hæc, & omnia alia supradicta, vobis omnibus supradictis præcipio, mando, & impero † ut exequamini continuò, per virtutem, atque potentiam Curiæ Cœlestis, & Angelorum Panis, qui residet ferè in omnibus Ecclesijs, ut cedatis præceptis meis jam vobis factis & faciendis: & mando vobis, per virtutem,

tutem, & potentiam Corporis Christi †, vosq; astringo † ad obedientiam per substantiam Curiæ Cœlestis prædictæ; ac Divini Pabuli, & Venerabilis, atque Admirabilis Eucharistiæ Sacramenti nomine, quam adorant Angeli, & venerantur Archangeli: Et conjuro, extermino, maledico, adnihilo † vos tempestates; & constringo vos omnes illas concitantes, ad obedientiam, per Sanctissimum Sacramentum, ac virtutem ejus institutionis †, per istam Santissimam Mensam †, per potentiam Sacratissimi Sanguinis Jesu Christi †, per ejusdem Carnem suavissimam †, atque Divinam Discipulis, & nobis traditam: adjuro † vos, & exorcizo per tantam venerandi Mysterij efficaciam, per gratiam, quæ in hoc venerabili Sacramento Ecclesiæ Fidelium dispensatur; & per immensam charitatem, qua Christus nos dilexit se tradendo ad manducandum, & bibendum, vos compello †, vos astringo †, vos cogo †, ut cedatis ministro Christi per virtutem, quam omnes sancti adepti sunt ob dignitatem tanti Sacramenti, & sumptionem: vos, & potentiam vestram ligo †, dissipo, & istas tempestates extermino †; vosque cogo † ad obedientiam in nomine Jesu, qui etiam se ipsum

ſum pro nobis obtulit, & contra vos Infernales belluas, ac poteſtates humanas, & diabolicas pugnavit: exorcizo †, purgo †, purifico †, ſanctifico † te aer, vos nubes; & totam revolutionem aeris termino †, & extermino †; & adnihilo † omnem virtutem, vim, & potentiam humanam, & diabolicam; & iſtas tempeſtates, volſque cives inferni, & aereas poteſtates adjuro, diſſipo †, & maledico † per cunctas potentias myſteriorum tanti Sacramenti. Imò conjuret, maledicat, & cogat vos validiſſimè Corpus Sacratiſſimum, & Diviniſſimum Redemptoris noſtri †, Corpus Filij Dei vivi †, Sacramentum Altaris †, Memoria Paſſionis Chriſti †, admirabile Euchariſtiæ Myſterium †, quotidiana Sacerdotum Conſecratio †, Communicatio Fidelium, tàm Spiritualis, quàm Sacramentalis † fugere, ſedare, adnihilare, & auferre iſtas tempeſtates, & revolutionem aeris. Expaveſcite, contremiſcite ò aereæ poteſtates tenebrarum per tam mirabilem poteſtatem conſecrandi tantum Myſterium; fugite, ſedate, & ad nihilum reducite iſtam revolutionem aeris; & iſtas grandines in naturalem aquam ſinè damno defluere facite. Etenim vox terribilis

Dei

Dei per Sacerdotum ora tonantis contra vos rotat, ut vos percutiat †, ut vos consternet †, ut vos viriliter mactet, † quia adhibitis tam validis verbis HOC EST CORPUS MEUM, mirum in modum substantia panis in substantiã Carnis, & Sanguinis Jesu Christi transubstantiatur, ut adversùm vos rebelles, & contra vestram pertinaciam, & perfidiam efficaciùs pugnemus. Nam iste est Jesus, cujus Oculi, Aurescque ad suorum Fidelium præces sunt intentæ. Iste est Jesus, cujus Vultus terribilis est valde contra vos superbos nequitiam efficientes, ut perdat de terra memoriam vestram.

Iste Jesus, nunc apprendens arma, & scutum in adjutorium nostrum contra vos spiritus nigerrimos rebelles insurgit †. Iste Jesus ex Maria Virgine mirabiliter genitus vos conterit †. Iste Jesus Dei Verbum vos premit † Iste Jesus Sacramentorum Auctor, fidei Pater, salutis Dispensator, gratiarum Elargitor, Deus verus, Deus unus, Deus Caro, Deus Omnipotens, vos ad fugiendum, & ad sedandam istam revolutionem aeris inducit, & cogit. Hujus igitur Jesus virtute, nomine, atque potentia ego indignus Sacerdos, atque Minister iterum vos aspides surdos conjuro,

† ma-

† maledico †, constringo †, ut omni mora, & obduratione remota fugiatis, & istas tempestates disperdatis, & ad nihilum redigatis; & auctoritate, qua fungor Sanctæ Matris Ecclesiæ, in virtute, atque potentia Eucharistiæ Sacramenti, te, aer, vos nubes, vos, venti, vos fulgura, & fulmina exorcizo †, termino †, extermino †, sedo, ligo omnem potentiam vestram naturalem, & diabolicam; & ad gloriam Augustissimi Eucharistiæ Sacramenti, & consolationem Christi Fidelium extermino †, dissipo †, & adnihilo † istas tempestates, & revolutionem acris; & omnem vim, & potentiam humanæ, & diabolicæ potestatis in vobis extinguo †, absolvo †, maledico †, vosq; excommunico †, & cogo ad omnem obedientiam: imo coarctent vos obedire, mitescere, cedere, ac deprimi sub manu, & voluntate Sacerdotis Deique ministri, omnis Christi Operatio, omnis Christi Nutus, cuncta Christi Cogitatio, omnis Christi Motus, omne Christi Verbum, omne vitæ mortisque Christi Jesu Mysterium, cunctaque Christi Jesu Redemptoris nostri, & vestrum Destructoris acerrimi excelsa Mysteria. Qui Jesus in pœnam tantæ proteruiæ, defectionis, atque obstinatissimæ conditionis

tionis vestræ, in virtute eorundem exorcismatum, & mysteriorum, quæ audistis augeat de momento in momentum vestros cruciatus, dolores vestros, ærumnas vestras, omniumque vobiscum participantium; ita, ut nullus spirituum damnatorum vos superet in tormentis. In nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus † Sancti. Amen.

SENTENTIA CONTRA AEREAS POTESTATES.

Si peracto prædicto exorcismo Augustissimi Sacramenti adhuc grandinosæ nubes perseverent, tunc Sacerdos jubeat pulsari Campanas pro salutatione Angelica recitanda, qua a Populo devotè persoluta, flexis genibus dicet sequentem Antiphonam, & progredietur ad id quod sequitur.

O' Regina Sacratissimi Rosarij: sub tuum præsidium confugimus Sancta Dei Genetrix, nostra vota, & preces, nè despicias in præsentibus necessitatibus, sed ab imminentibus periculis, & tempestatibus libera nos semper Virgo Glorioſa, & Benedicta.

Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Da nobis Domine auxilium de Al-

to, quia vana fortitudo hominis, & ſic exultabit anima mea in te ad reportandum triumphum de Tyrannis.

EXCOMMUNICATIO

Fulminanda contra aereas Poteſtates a Sacerdote manu tenente Candelam benedictam, accenſam.

In Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Audite Cœli, quæ loquor, audiat Terra verba oris mei.

CUm ſit, quod iſti Spiritus Dei rebelles ab initio Creationis ſuæ in ſuperbiam elati ſint; jure, & merito præcipitavit eos Altiſſimus de Cęlo, & dedit eis maledictionem æternam, & ab illa hora ſemper exultaverunt in rebus peſſimis, gloriantur in malis, & nunc invidia, & feritate moti, iſtas grandines, ventos, turbines, fulgura, fulmina, & hanc revolutionem aeris excitare, concitare, & movere audent, & præſumunt; & pluries conjurati, maledicti, pluribuſque præceptis conſtricti in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, ac totius Curiæ Cœleſtis, adhuc (ut ſuum proprium eſt) in ſuperbia, & obſti-

obſtinatione reſiſtunt, undè finis condemnationis ſupervenit.

Ideò Ego N. Sacerdos, & Miniſter Jeſu Chriſti, quamvis indignus, in hoc tamen judicio Vicarius, poteſtate mihi ab eo tradita quando dixit diſcipulis ſuis. Quodcumque ligaveritis ſuper Terram erit ligatum in Cœlis.

Nomine ejus invocato, Virginiſque Mariæ Sacratiſſimi Roſarij, & Sancti Joannis Baptiſtæ, Joſeph, Dominici, Antonij Patavienſis, nec non ſupra nominatorum Sanctorum, ac totius Curiæ Cœleſtis, coram inviſibili Majeſtate Dei in teſtimonium invoco Cœlum, & terram & omnia, quæ in eis ſunt: & in nomine Sanctæ Eccleſiæ, in quantum mea ſe extendit poteſtas, Candela hac accenſa, & ad ſonitum harum Campanarum, ſolemniter, & toto affectu, ac nomine Altiſſimi Jeſu Chriſti maledico †, excommunico †, anathematizo atque, fulmino † omnes maledictiones, & excommunicationes, quæ fulminatæ, & fulminandæ ſunt, ac fulminari poſſunt auctoritate Sanctæ Matris Eccleſiæ contra omnes illas aereas poteſtates, & humanas, atque diabolicas potentias, mediatè, vel immediatè, præſentialiter, vel poteſtativè, ac virtualiter, excitantes

tes, & concitantes ventos, conglutinantes, & conglobantes nubes, grandines, & hanc revolutionem aeris moventes; quæ omnia in nomine, ac plena auctoritate Sanctæ Matris Ecclesiæ summique Dei Altissimi termino †, extermino †, dissipo †, fugo †, adnihilo †; & contra vos rebelles, fautoresque vestros inobedientes, & contumaces meis præceptis, imo Jesu Christi vobis factis fulmino, & pronuncio sententiam definitivam æternæ maledictionis; & ad locum vobis deputatum a Deo mitto, ac relego in stagnum ignis, & sulphuris, atque omnibus pœnis ejus, atrociter concremandos condemno, & condemnatos declaro; tradoque vos Lucifero, & omnibus furijs infernalibus, & præcipuè inimicis vestris, tanquam crudelibus ministris justitiæ Dei, ut vos crudeliter crucient pro demeritis inobedientiæ vestræ, secundum tamen beneplacitum Divinæ dispositionis, de qua contenti esse debemus, & volumus. In nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus † Sancti. Amen.

Ideò maledicti sitis a Deo, & ab omnibus Creaturis, etiam irrationalibus in omni loco Dominationis. Dei. Amen.

Ma-

Maledicti ſitis in quatuor elementis, & in omnibus, quæ in ipſis ſunt, vivunt, & permanent. Amen.

Maledicti ſitis ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum: in Oriente, Occidente, Septentrione, & Meridie. Amen.

Maledicti ſitis in aere, in nubibus, in ventis, in tonitruis, fulminibus, & eorum effectibus. Amen.

Maledicti ſitis in grandinibus, in gelu, in glacie, in rore, in pruina, in turbine, & procella, in aquis omnibus, eorumque finibus. Amen. Et tandem maledicti ſitis nunc, ſemper, in omni hora, & momento, ab omnibus, in omnibus, & per omnia. Amen.

CREDO IN DEUM PATREM.

EXORCISMUS.

B. V. Mariæ Sacratiſſimi Roſarij prævijs Litanijs.

SUb tuum præſidium confugimus Sancta Dei Genitrix, noſtras preces ne deſpicias in præſentibus neceſſitatibus, ſed ab hac tempeſtate libera nos ſemper Virgo Glorioſa, & benedicta.

℣.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMUS.

DEfende quæſumus Domine B. M. ſemper Virgine intercedente iſtam ab hac tempeſtate familiam: & toto corde tibi proſtratã ab hoſtium propitiùs tuere clementer inſidijs. Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

In Nomine puriſſimæ, & præclariſſimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ Reginæ Sacratiſſimi Roſarij.

EGo indignus Sacerdos, ejuſdem Deiparæ innixus meritis, & auctoritate mihi conceſſa ſupra Inferni Regnum, ejuſque Cultores, & ſuper omnes alias Creaturas humanas vel diabolicas a Sancta Romana Eccleſia Catholica in Sãguine Jeſu Chriſti fundata, audeo vos omnes, qui excitatis, concitatis, conglutinatis, & conglobatis nubes, grandines, ventos, turbines, fulgura, fulmina, & iſtam revolutionem aeris exorcizare †, conjurare †, & compeſcere †; ſicuti defacto vos exorcizo †, conjuro †, & compeſco †: &

 ter-

termino †, ligo †, diſſipo †, ac deſtruo † omnem vim, & potentiam veſtram, & omnium vobis faventium; ſimulque iſtas tempeſtates, & revolutionem aeris à vobis excitatas, & concitatas per Sanctiſſimam Trinitatem Patrem †, & Filium †, & Spiritum Sanctum †: per Beatam Mariam Virginem Matrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, Reginam Sacratiſſimi Roſarij †: per ejus digniſſimam Animam †: per ſuam Integritatem †, & Conceptionem immaculatam †: per Mariæ Ortum digniſſimum †, & Virtutem ſui Puriſſimi Corporis †: per Mariæ Pulchritudinem †: per Mariæ inclyta Encomia †: per Mariæ Verba mitiſſima †: per Mariæ Greſſus modeſtiſſimos †: per Mariæ præclara Opera: per Mariæ validiſſimam Potentiam †: per Mariæ Spem accenſam, atque firmiſſimam Fidem †, Pietatem †, Clementiam †, Charitatem †, & illibatam Virginitatem †.

Hæc igitur vos mecum evincat, ò rebelles, aeræ Poteſtates, Magi, Malefici, & Maleficæ, cunctique Incantatores artis diabolicæ, a quibus præſens hæc aeris revolutio, procedit: vos mecum debilitet †: vos mecum debellet †: hæc Virgo vos conſternet: hæc Virgo mecum deſtruat †, diſſipet †, &

in

in aquâ iſtas grandines defluere faciat †, hanc revolutionem ſedet †: voſque affligat, torqueat, & maledicat †.

Et ego Sacerdos Miniſter Dei Altiſſimi, licèt indignus, præclariſſimæ hujus Virginis, & tantæ Dei Genitricis virtute, & per ejus Sanctiſſimum Nomen, quod eſt MARIA, perq; omnia Nomina ei aſſimilata; ipſa enim dicitur Hortus concluſus, Fons ſignatus, Lilium convallium, Cedrus Libani, Cypreſſus, Palma, Roſa, Oliva, Platanus, Cinamomum, & Balſamum aromatizans, Myrrha electa, Arca Fœderis, Stella Maris, Aurora conſurgens, Radix Jeſſe, Rubus Moiſis incumbuſtus, Mons Synai, Scala Cœli, Paradiſi Porta, Arcus Pacis, Fons Gratiarum omnium, Paradiſus deliciarum, Hoſpitium Deitatis, Dæmoniorum Dominatrix, Pavor Inferni, Debellatrix Principum Tenebrarum: Mediatrix, Auxiliatrix, Conſolatrix: Medicina, Sanitas, Defenſio, & Portus, cunctorumque Chriſtianorum Gloria: Lux Dei, Sedes Dei, Tronus Dei, Mater Dei, Arca theſaurorum Dei: Templum, & Sponſa puriſſima Spiritus Sancti, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum Acies ordinata: per hæc ſupradicta

omnia & alia ejus nomina, vos exorcizo †, vos conjuro †, vos torqueo †, vos confundo †, vos flagello, & vim virtutem, & potentiam veſtram, ſive humanam, ſive diabolicam, iſtaſque nubes, tempeſtates, & revolutionem, aeris, termino †, diſſipo †, extermino †, debilito, adnihilo †, & in aquam reſolvo.

Exorcizo †, conjuro † purgo †, & purifico † te aerem †, vos nubes, vos ventos, & omnia, quæ in vobis, & de vobis ſunt, vivunt, & permanent ab omnibus experientijs magicis, & potentijs diabolicis; voſque benedico †, ſanctifico †, & omnibus benedictionibus Dei, Virginiſque Mariæ, & omnium Electorum repleo †: & iſtas grandines in aquam liquefacio, atque revolutionem aeris termino †, extermino, & adnihilo †: vos autem rebelles aereas poteſtates, cujuſcumque ordinis, dignitatis, & potentiæ humanæ, vel diabolicæ, immediatè, vel mediatè excitantes, concitantes, impellentes iſtas nubes, tempeſtates ventos, & revolutionem aeris maledico †, excommunico †, & omnibus execrationibus repleo † per quindecim Sacratiſſimi Roſarij Myſteria: voſque conſtringo †, & cogo † per Sacram Annunciatio-

nem

nem Mariæ †, & per dialogum inter eam, & Gabrielem factum, quando dicenti Paranimpho illi: AVE GRATIA PLENA, Ipſa humilimè reſpondit: ECCE ANCILLA DOMINI, FIAT MIHI SECUNDUM VERBUM TUUM; perque illud myſterium, quod tunc effectum fuit, quia VERBUM CARO FACTUM EST: per Viſitationem † Mariæ ad Eliſabeth, ejuſque Salutationem; & per exultationem Baptiſtæ in utero Sanctæ Matris: per Partum Sacratiſſimum Virginis Mariæ, & Nativitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti †; & per exultationem, & jubilationem Sanctorum Angelorum dicentium GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX; perque ipſius Mariæ ante partum, in partu, & poſt partum, Virginitatem: per Mariæ Purificationem; & gaudium Simeonis, quando accepit Puerum Jeſum in vulnas ſuas, & viderunt oculi ejus Salutare Domini: & per jucundiſſimum illud gaudium quo Cor Sanctiſſimæ Virginis, & Matris repletum fuit, quando poſt amariſſimam Filij perditionem ipſum invenit in Templo ſedentem in medio Doctorum audientem illos, & interrogantes eos, ut iſtas tempeſtates ſedetis, adnihi-

hiletis, & ab iſtis regionibus ventos, turbines, fulgura, fulmina, iſtamq; aeris revolutionem nulla interpoſita mora auferatis deſtruatis, & omnimode diſſipetis.

Hæc igitur Maria Mater Jeſu Nazareni vos mecum exorcizet †: Maria Mater Dei Sabaoth cruciet vos †: Maria Dei Genitrix affligat vos †: Maria Mater Dei Sancti perterreat vos †: Maria Mater Dei Fortis conterat vos †: Maria Mater Dei Immortalis conjuret vos: Maria Mater Dei Omnipotentis torqueat, atque cædat vos †: Maria Mater Dei Tetagrãmaton duris vos aſtringat viuculis †: Deipara Virgo Maria conſternet vos †, confundat vos †, premat, & condemnet vos †, invadat vos †, ac jaculis confodiat, & feriat †, & iſtas tempeſtates diſperdat, & adnihilet †, voſque præcipitet, atque omni execratione, & malorum copia undique opprimat. Exorcizo †, conjuro, conſtringo †, & cogo † vos omnes ſupra nominatos, vobiſque præcipio, & impero, ut iſtas tempeſtates, & revolutionem aeris ſedetis, & removeatis; & omnia ſupradicta adamuſſim exequamini per ardentiſſimam Orationem in Horto factam, per Sudorem ſanguineum, & amaritudinem,

quam

quam ibi Dominus noſter Jeſus Chriſtus paſſus fuit: debilito †, & termino † vos, & potentiam veſtram, iſtamq; revolutionem aeris ſedo †, & extermino † per Flagellationem ad columnam † Chriſto factam, & omnes Puncturas, atque Irriſiones, quas ſuſtinuit in Coronatione Spinarum: Adjuro † vos, & iſtas tempeſtates per Alaphas, Sputa, Verberationes, & alia tormenta, quando ductus fuit ad Calvariæ locum: Confundo vos, & iſtam revolutionem aeris per acerbam Crucifixionem Jeſu Chriſti †; per conſtantiam, & humilitatem ejus; per verba in Cruce poſita ſcilicet J. N. R. J. †; per omnia opprobria, irriſiones, tormenta, quæ paſſus fuit, in tota Vita, in Cruce †, & in emiſſione Spiritus. Conjuro †, exorcizo † vos, & iſtam revolutionem aeris, per Sanctam Reſurectionem, & Aſcenſionē, Jeſu Chriſti: per Miſſionem Spiritus Sancti in Diſcipulos: per Aſſumptionem Virginis Mariæ in Cœlum, & per omnia, quæ in mortali vita ſuſtinuit, & toleravit: & per Gaudium, & Exultationem, quibus in Coronatione repleta fuit †. Aſtringo vos † ad omnem obedientiam per peculiarem exultationem in tanta ſolemnitate Coronationis, &

per lucidiſſimam elevationem, nitorem, & gloriam, perq; omnia munera ſuis ſervulis elargita. Mando † tandem & impero vobis per Angelorum, & Archangelorum concentus, & gaudium in Sanctæ Virginis Aſſumptione, atque exaltatione †, ut mea exequamini mandata, hinc velociter recedendo, ſedando, diſſipando, & auferendo ſinè damno iſtas tempeſtates, & revolutionem aeris; aliàs in nomine Jeſu Nazareni, ejuſque Virginis Matris Mariæ vos, vobiſque faventes, vos detinentes, conſilium dantes, vobis auxilium præſtantes in æternum execror, interdico, & excommunico; itaut execratio, interdictio, & excommunicatio Cœleſtium Angelorum ſint ſuper vos; maledictio Deiparæ Virginis, & maledictio Dei, excruciet vos, augeatq; ſupplicia veſtra abſque menſura, uſque ad magni Judicij diem. In nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus † Sancti. Amen.

OREMUS.

POne Jeſu Omnipotens dexteram tuam plenam larga benedictione † ſuper hunc aerem, nubes, ventos, & hanc aeris revolutionem, & reple eam

æter-

æternis benedictionibus, ut terminetur ad honorem tuum, & consolationem tuorum Fidelium.

Sancta Maria admitte nostras præces intrà sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis: sit per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poscimus: accipe quod offerimus: redona quod rogamus: excusa quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum, & per te speramus ab hac tempestate, & revolutione aeris liberari, & defendi. Avè sinè veh. Maria tota mitis, dulcis, tota pia, gratia plena, cujus memoria suavis est, ac peramæna. Dominus tecum. Tua gratia sit nobiscum. Benedicta tu in mulieribus, excelsior facta syderibus. Et benedictus Fructus ventris tui, cujus prætioso Sanguine redempti sumus, Jesus Christus sit in æternum laudatus, & benedictus. Sancta Maria oppressorum defensio ora pro nobis peccatoribus, nè ab hac tempestate, & flagello opprimamur. Mater Dei miserere nobis, nunc, & semper ut puri te laudemus frequenter. Amen.

O Maria gaudium noſtrum ſolamen atque refugium.

Maria Mater gratiæ,
Mater miſericordiæ,
Tu nos ab hoſte protege,
Et mortis hora ſuſcipe.
Monſtra te eſſe Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.

Sancta Maria ſuccurre miſeris, nunc ſerva puſſilanimes, ſalva nos, libera nos, protege nos ab hac tempeſtate: te precamur per Unigenitum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cum quo vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

EXCOMMUNICATIO
contra aereas poteſtates.

ITerum, ò maledicti damnati fugite, ſedate, adnihilate, & à nobis auferte iſtas tempeſtates †; quia ad veſtram confuſionem, ad veſtrum exterminium, ac tormentorum inundationem multiplico maledictiones Æterni Dei, Virginiſque Mariæ, & omnium Cœleſtium ſupernorum ſuper hunc aerem,

rem, nubes, ventos, fulmina, fulgura, ut ſint vobis, ac omnibus tacitè, vel expreſsè excitantibus, concitantibus, impellentibus iſtam revolutionem aeris, novus Infernus: & auctoritate qua fungor adjuro †, impero †, & aſtringo vos †, ut invicem ſpumetis, evomatis rabiem, & furorem veſtrum: voſq; omnes maledico †, excommunico †, & anathematizo †, ut ſitis à Deo maledicti, & ab omnibus ejus creaturis: Maledicti ſitis per glorioſam Virginem Mariam Amen: Per Sanctos Angelos, Archangelos, Tronos, Dominationes, Virtutes, Principatus, & Poteſtates. Amen: Per Cherubim, & Seraphim. Amen: Per Angelos ſtantes ante Thronum Dei, & Angelos Cuſtodes noſtros. Amen: Maledicti ſitis per omnes Sanctos, & Sanctas Dei Amen: Maledicti ſitis per ſeptem Sacramenta; & præcipuè per Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentũ †, & per omnia Sacra Deo dicata. Amẽ: Maledicti † ſitis per plenam Summi Pontificis poteſtatem, omniumq; dignitatum Sanctæ Matris Eccleſiæ, & per omnia verba, & myſteria Sacræ Scripturæ. Amen: Et tandem maledicti ſitis ubique reperiamini ab omnibus, & in omnibus. In nomine Patris †, & Filii, &c.

EXORCISMUS SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Benedicta sit Sancta Trinitas, atque indivisa Unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam: fac etiam nunc secundum multitudinem miserationum tuarum, & libera nos ab hac tempestate, & revolutione aeris.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit Cœlum, & Terram.

Pater noster. Ave Maria, dicatur ter.

CREDO IN DEUM PATREM &c.

Te invocamus, te laudamus, te adoramus,
O Beata Trinitas.

Spes nostra, salus nostra, honor noster,
O Beata Trinitas.

Salva nos, libera nos, defende, & protege nos ab hac tempestate,
O Beata Trinitas.

Tibi honor, tibi gloria, tibi gratiarum actio, in sæcula sempiterna,
O Beata Trinitas.

ORE-

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia majeſtatis adorare Unitatem: quæſumus, ut ejuſdem fidei firmitate ab iſta tempeſtate, & ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum, vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti &c.

Confundamini ſuperbi Dæmones, omneſque tartareæ, atque aereæ Poteſtates, ac Legiones, injuſtè iniquitatem contra Chriſti famulos operantes, excitando, concitando, conglutinando nubes, grandines, ventos, fulgura, & hanc totam revolutionem aeris, aliquo medio malefico, arte, ſigno, ſcriptura, pacto quomodolibet inito cum diabolicis perſonis ad hunc finem, & ad damnum Chriſti Fidelium, ubicumque detineamini, vel ſitis; ego enim Dei inſtrumentum, & miniſter Chriſti Jeſu Redemptoris noſtri ſuperna mihi ab Eccleſia Sancta per Sacramenti Ordinis ſuſceptionem auctoritate communicata, omnia ſupradicta relata abſolvo †, reſolvo, † deleo †, era-

eradico†, deſtruo†: iſtaſq; tempeſtates ſive ſint ex diabolico impulſu, ſive ex maligna qualitate aeris ſedo†, adnihilo†, fugo†, extermino†, & omnem vim, atque potentiam diabolicam termino†, & ligo† in nomine, & virtute Sanctiſſimæ Trinitatis Patris†, & Filij†, & Spiritus Sancti†: In nomine Angelorum†, Arcangelorum†, Thronorum†, Dominationum†, Principatuum†, Poteſtatum†, Virtutum†, Cherubim, atque Seraphim†: in nomine, & virtute Sanctiſſimæ Deiparæ Virginis Mariæ: in nomine Sanctorum, & Sanctarum Dei, Veteris ac Novi Teſtamenti, & præcipuè noſtrorum Advocatorum, Advocatarum, & Protectorum iſtius Populi, Statuſque N; voſque omnes maledico†, excommunico†, & confundo: Imò confundat†, maledicat, excommunicet vos, & iſtas grandines, & revolutionem aeris, ſedet, atque adnihilet Sancta, & Indiviſa Trinitas†: confundat vos Deus Omnipotens ✠, concutiat vos Dei Bonitas, conterat vos Dei Juſtitia†, ſedet vos Dei Sanctitas†, comprimat vos Dei Excellentia† cedat vos Dei Pietas, flagellet vos Dei Immenſitas†, comburant vos Charitas†, Sapientia†, & Proviđen-

videntia Dei, qui fecit magna in Cœlo, & in Terra: Ipſe concutiat, & fuget vos, iſtaſque tempeſtates ſedet, & in aquam defluere faciat: Ejuſque nomine ego vos, & iſtas tẽpeſtates, & revolutionem aeris iterum, & audacter conjuro †, adjuro †, exorcizo †, fugo †, diſſipo †, & adnihilo † per Deum Trinum †, per Deum Sanctum †, per Deum Omnipotentem †, per Deum Magnum †, per Deum Immortalem †, per Deum Terribilem †, per Deum Formidabilem, atque Tremendum †: per Dei Potentiam †, per Dei Immenſitatem †, per Dei Longanimitatem †, per Dei Providentiam †, per Deum omnium Conditorem †, per Deum juſtiſſimum Judicem †; vobiſque præcipio †, & impero ut mox revolutionem iſtam aeris ſedetis, grandines, vel in aquam, convertatis vel in montes infecundos ſinè detrimẽto transferatis. Adjuro †, conjuro †, exorcizo † te aerem, vos nubes, vos ventos, voſque purgo †, & purifico †, ac vobis impero †, ut iſtas grandines, & poteſtates, ſivè humanas, ſivè diabolicas in vobis retinere non poſſitis: & plena auctoritate Sanctæ Matris Eccleſiæ urgeo †, cogo, compello † conjuro †, conſtringo vos omnes Spiritus rebelles, ut Miniſter

Ju-

Justitiæ Dei sub pœna augendorum tormentorum vestrorum millies, per efficaciam præfati Dei a me vobis indicti, nè personas istas, seu potestates humanas, vel diabolicas, mediatè, vel immediatè operantes, quoviſve modo concurrentes ad istas tempestates, & revolutionem aeris transformare audeatis, nec permittere possitis, transformari, nec ad proprias habitationes, nec ad vestrum conciliabulum, & congregationem conducere, sed ad gloriam Sanctissimæ Trinitatis, & jubilationem Virginis Mariæ, nostrorum Advocatorum, & Protectorum, totiusque Curiæ Cœlestis, & consolationem Christi Fidelium percutiatis, repercutiatis, sævissimisque flagellis, & fustibus à vobis afficiantur donec emendentur. Eàdemque potestate, qua Christus præcepit spiritibus rebellibus, mari, atque ventis, ità vobis, has grandines excitantibus & hùc transferentibus præcipio, & impero, ut ipsas in aquam favorabilem resolvere & commutare debeatis, vel ad montes infœcundos sinè detrimento transferatis: utque vos nobis adversantes evanescatis, & in posterum ampliùs non veniatis, sed transire ad locum vobis à Deo præscriptum, & ibi manere tenea-

neamini: & hæc, & alia omnia à principio conjurationis meæ uſq; huc, & omnibus, quibus præcepi, & mandavi, præcipio nunc, & mando, & impero, ut adamuſſim, & immediatè adimpleantur, per unitatem eſſentiæ Dei †, per æqualitatem Perſonarum Dei †, per immenſitatem Dei †, per incommutabilitatem Dei †, per incomprehenſibilitatem Dei †, per infinitatem Dei †, per immutabilitatem Dei †, per ſimplicitatem Dei †, per excellentiam Dei †, per bonitatem Dei †, per ineffabilitatem Dei †, per clementiam Dei †, per amorem Dei †, per potentiam Dei †, per ſapientiam Dei †, per virtutem miraculorum Dei †, per ſcientiam Dei †, per voluntatem Dei †, per juſtitiam Dei †, per miſericordiam Dei †, per ſplendorem Dei †, per majeſtatem Dei †, & per omnia myſteria, & verba ſacra contenta in hoc libro. Recedite ergo, & fugam capite præcipites, nobis relinquendo imbrem mellifluum. In nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus † Sancti. Amen.

Iterum, atque iterum, ò vos excommunicatæ, rebelles, poteſtates, ſivè humanæ, ſivè diabolicæ, auctoritate, qua ſupra, atque imperio, & poteſta-

te

te Sanctiſſimæ Trinitatis termino †, extermino †, diſſipo †, adnihilo † omnem vim, atque potentiam veſtram: ſimulque iſtas grandines in aquam reſolvo, & iſtam revolutionem aeris debilito †, deſtruo †, ſedo †: & ad gloriam Sanctiſſimæ Trinitatis, ad jubilationem totius Curiæ Cœleſtis, ac conſolationem Eccleſiæ Militantis vos omnes cunctis execrationibus perſequor, maledico, & anathematizo, & in atrociſſimas pœnas æternales, etiam accidentales vos, & complices veſtros mitto, atque relego; detrudendo, & condemnando vos in profundiſſimum locum, ubi nunquam fuiſtis †: ac convoco †, cito, conjuro †, & conſtringo † omnes tartareas legiones, & præcipuè Luciferum, & veſtros inimicos ex parte Omnipotentis Dei, ut puniant contumaciam veſtram, ſempiternis cruciatibus vos afficiant, & torqueant ac magis, & magis involvant vos in maximis, & attrociſſimis pœnis, quæ ſunt in Inferno, & à mente Angelica excogitari poſſunt; & auferant omnem potentiam in futurum excitandi, & concitandi tempeſtates in virtute Sanctiſſimæ Trinitatis Patris †, & Filij †, & Spiritus † Sancti. Amen.

ORE-

OREMUS.

PONe Deus Omnipotens dexteram tuam plenam larga benedictione ſuper nos, & ſuper hunc aerem, nubes, grandines, ventos, & ſuper hanc totam revolutionem aeris, & reple eam æternis benedictionibus, ut terminentur, & adnihilentur ad honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ Sanctiſſimi Roſarij, ac Sancti Joſeph, Dominici, Antonij Patavienſis, ac Euroſiæ Virginis, omniumque Sanctorum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

BENEDICTIO

Contra vermes, locuſtas & alia animalia fructus, terram, vel aquas inficientia.

Sacerdos ſuper pelliceo, & Stola violacea indutus, antequam huic Benedictioni det operam, priùs exorcizet, & benedicat aquam ut infra.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit Cœlum, & Terram.

Exor-

EXorcizó tẽ creatúrá aquæ in nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus † Sancti, nè sis communis ulli spiritui immundo, sed des honorem viventi, atque regnanti Deo; ut ubicunque aspersa fueris, omnis spiritus immundus, omnisq; infestatio animalium recedat. Itaque adjuro † te aquam in nomine Jesu Christi Nazareni Filij Dei vivi, Redemptoris, & Judicis, ut sis purgatio, & sanctificatio locorum, & hominum, quos Deus creavit ad suam imaginem, & gloriam.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus benedic †, & sanctifica † hanc aquam benedictione Cœlesti, & assistat super eam virtus Spiritus Sancti; & ubicunque fuerit aspersa sit igni s ardens immundos spiritus, locustas, volucres, & alia animalia nostros fructus, & segetes vastantia: concede ei virtutem, & potestatem ad exterminanda hujusmodi animalia, & omnes adversitates humanas, ut non possint spiritus immundi, nec animalia nocere fructibus, locis, nec hominibus; sed confusi abscedant, & fugiant per virtutem Domini Nostri Jesu Christi, Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti in sæcula sæculorum. Amen.

Aqua prò aſperſione ſic præparata, ad Benedictionem deveniens dicat.

Pater noſter. Ave Maria. Credo &c.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

Nè reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Recitentur litaniæ Sanctiſſimæ Virginis, vel Sanctorum, & in fine dicatur

℣. Domine averte faciem tuam à peccatis noſtris.

℟. Et omnes iniquitates noſtras dele.

℣. Domine non ſecundùm peccata noſtra facias nobis.

℟. Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et eum ſpiritu tuo.

OREMUS.

PReces noſtras quæſumus Domine, clementer exaudi, ut qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, & hanc avium, vermium, ſeù murium, aut locuſtarum, (aliorumque animalium) perſecutionem patimur, pro tui Nominis gloria, ab ea miſericorditer liberemur; ut procul à tua potentia expulſi

pulſi nemini noceant; & hos campos, agros, vel vineas in tranquillitate, & quiete dimittant, quatenus ex eis ſurgentia, & orta tuæ Majeſtati deſerviant, & noſtræ neceſſitati ſubveniant. Per Chriſtum Dñm noſtrum. Amen.

CREDO IN DEUM PATREM &c.

EXorcizo †, conjuro †, & adjuro †, te aerem, te terrã, vos ſegetes, vos vineas, vos arbores, omneſque fructus in vobis exiſtentes in virtute, ac potentia Sanctiſſimæ Trinitatis Patris †, & Filij †, & Spiritus † Sancti, Virginis Mariæ †, & Sanctorum, & Sanctarum Dei; voſque abſolvo †, purgo †, mundo, & purifico † ab omni infeſtatione, magica virtute, ac potentia humana, vel diabolica; ſimulque ab omni peſtifera aeris corruptione, & ab hac vaſtatione, & animalium peſte. Jeſus Chriſtus per ſuam piiſſimam miſericordiam, & per ſua ſanctiſſima Nomina, & preces, & merita Beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris ſuæ, & per interceſſionem Sanctæ Margaritæ Virginis, & Martyris, S. N., ac Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium Electorum ſuorum, vos liberet, cuſtodiat, & protegat. Amen. Sanctificet vos

Deus

Deus ſignaculo hujus Sanctæ Crucis, † & fugiant, & recedant à vobis iſta peſtifera animalia: defendat vos Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi, & veri. Amen. Per ſignum Sanctæ † Crucis defendat nos Deus à malis præſentibus, & futuris, ac ſignaculo S. Crucis liberet nos ab hac perſecutione animalium. Hujus ſignaculo Sanctæ Crucis † fugiant adverſarij noſtri. Per iſtius Sanctæ Crucis ſignaculum † liberet nos Deus ab hac vaſtatione fructuum, & peſte animalium. Benedictio † Dei ſit ſuper nos, & ſuper vos agros, vineas, arbores, & fructus noſtros: Angeli ſui vos cuſtodiant: Benedictio † Domini & omnium Sanctorum ſit ſuper vos †: Benedictio Chriſti, & ſuorum Apoſtolorum ſit ſuper vos †: Benedictio Virginis Mariæ cum potentiſſimo Filio ſuo Jeſu Chriſto ſit ſuper vos †: Benedictio † Incarnationis Domini Jeſu Chriſti, Nativitatis, Circumciſionis, Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis ſit ſuper vos: Benedictio Spiritus Sancti ſit ſuper vos †: Virtus Sanctæ Crucis ſit ſuper vos †, intra vos †, circa vos †, ante vos †, poſt vos, & in omnibus partibus veſtris †.

CREDO IN DEUM PATREM &c.

Exor-

EXorcizo vos † peſtiferos vermes, mures, aves, locuſtas, & cætera animalia; voſque conjuro †, adjuro †, conſtringo †, ac præcipio per Deum Patrem † Omnipotentem, & Jeſum † Chriſtum Filium ejus †, & Spiritum † Sanctum † ab utroque procedentem: per Virginem Mariam †, ac per omnes Sanctos, & Sanctas † Dei, & præcipuè per Sanctam Margaritam SS. NN. , & Aduocatos in Cælo pro nobis orantes, ut confeſtim recedatis ab his campis, ſeù vineis, vel aquis, & à tota noſtra regione; nec ampliùs in eis habitetis, ſed ad ea loca tranſeatis, in quibus nemini nocere poſſitis, pro parte Dei Omnipotentis, & totius Curiæ Cæleſtis, & Eccleſiæ Sanctæ Dei; vos ſic maledicens, ut quòcunque iveritis ſitis maledicti †, deficientes de die in diem in vobis ipſis, & decreſcentes; ita ut reliquiæ de vobis nullo in loco inveniantur, niſi neceſſariæ ad ſalutem, & uſum humanum: Maledicat vos ✠ Potentia Dei Patris: maledicat † vos Sapientia Dei Filij, maledicat † vos Bonitas Dei Spiritus Sancti. Maledicat † vos Cælum, maledicat † Virgo Maria † maledicant † vos Patriarchæ, & Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores,

fores, Virgines, & omnes Sancti, & Beati: maledicant † vos cuncta elementa, & omnes creaturæ in cœlo, in terra, & ſubtus terram: maledicti ſitis in oriente, in occidente, in ſeptentrione, & meridie: maledicti ſitis in vallibus, & collibus, in montibus, & planitiebus, in campis, & vineis in pratis, & hortis, ac deſertis: maledicti ſitis in arboribus, & herbis, in fructibus, floribus, & gemmis, in aere, & nube, in pulvere, & cinere: maledicti ſitis in omnibus aquis, & humiditatibus: & tandem maledicti ſitis ubique locorum, ac omnibus horis, & momentis; itaut ad invocationem nominis ipſius Domini Noſtri Jeſu Chriſti recedatis, & fugiatis, & ampliùs ad noſtras regiones non veniatis; & qui vos invenerint, maledicant vobis; & qui vos maledixerint, benedictionibus repleantur. In nomine Patris † &c.

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus omnium Bonorum Remunerator, & Peccatorum maximus Miſerator, in cuius Nomine omne genuflectitur, Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum, tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede, ut quod de tua miſericordia confiſi agimus, per tuam

gratiam, efficacem consequamur effectum; quatenus hos pestiferos vermes, mures, aves, bruchos, locustas, & alia animalia per nos servos tuos maledicendo maledicas †, segregando segreges †, exterminando extermines †, ut per tuam clementiam ab hac peste liberati gratiarum actiones Majestati tuæ liberi referamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Recedite ergo, & evanescite per virtutem, ac potentiam SS. Trinitatis, nec non SS. Virg. Mariæ, ac SS. & Electorum Dei; nam adjuro † conjuro †, maledico †, & excommunico vos locustas, bruchos, aves, vermes, & cuncta alia animalia fructus, & bona nostra vastantia; & fulmino †, ac multiplico † in vos, & contra vos omnes illas maledictiones, & excommunicationes auctoritate Sanctæ Matris Ecclesiæ, quas in nomine, virtute, ac potentia Sanctiss. Trinitatis possum †: cogat mecum vos obedire invictissimus Chorus Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, nec non Confessorum, Eremitarum, atque Virginum, illorumque maximè Beatorum, quorum virtus, atque potentia fortiùs, validiùsq; vos eliminare, consumare, segregare, dispergere,

dere, & ad nihilum redigere valent: In nomine Patris †, & Filij †, &c.

OREMUS.

VIsita, quæsumus Domine istos campos, vineas, fructusque nostros, & omnes insidias inimici ab eis longe repelle; & mitte Angelos tuos Sanctos Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, cunctos tuos Electos, ut evanescere, & fugere faciant ista animalia, nostra bona vastantia; eaque visitent, custodiant, & protegant; & benedictio † tua, Virginisque Mariæ, ac tuorum Electorum sit super ea, per te Jesu Christe, Salvator Mundi. Qui vivis &c.

BENEDICTIO Agrorum Vinearum &c.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

TE, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, supplices deprecamur: ut misericordia tua jugiter nobis concedat sufficientem messium copiam, fructuum omnium largitatem

tribuat, & donet vinearum ſubſtantiam abundantem, arborum fætus, proventuſque omnium rerum; atque ab ipſis omnibus peſtiferum ſydus, tempeſtatis procellam, & grandinis fragorem, & univerſa mala amovere digneris: Per &c. OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus multiplica ſuper nos miſericordiam tuam; & preces noſtras benignus exaudi; ut in has fruges famulorum tuorum veniat ſperatæ bene ✠ dictionis ubertas; & repleti de frugibus tuis, in tuo nomine, de tua gratia ſemper exultent. Per Chriſtum Dominum &c.

Aſpergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO Seminis Bombicum.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Dñi
℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

COnditor, & Creator omnium Deus, qui omnia ex nihilo creaſti, & hominem ad tuam imaginem formare dignatus es, cunctaque creata ad uſum humani generis ſubjeciſti, infunde

funde rorem tuæ gratiæ, & benedictionis ſuper hæc ſemina bombicum, quæ nos in tuo nomine, atque virtute benedicimus † ſanctificamus †, & omnibus tuis benedictionibus replemus, ac munimus †; ut intercedente Beatiſſima Virgine Maria cum Beatis Apoſtolis tuis Petro, & Paulo, atque Beato Ambroſio, & Carolo, Coſeſſoreque tuo Job cum omnibus Sanctis, & interveniente tua clementia, officium ſuum proſperè, & copioſè explere poſſint ad ornatum tuorum Altarium, uſuſque noſtros; nec eis nocere poſſint malæ umbræ, faſcinationes, nec aliqua ſuperſtitioſa facta, & facienda; quæ omnia tua benedictione †, virtute, atque potentia terminamus †, exterminamus †, & adnihilamus †; & terminata, exterminata, & adnihilata decernimus, & declaramus per te Jeſu Chriſte Salvator mundi. Qui &c.

Ter Pater, & Ave ad honorem Santiſſimæ Trinitatis recitetur.

BENEDICTIO Egrotantium.

In nomine † Patris, & Filij †, &c.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuva-

juvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater noster. Ave Maria. Credo &c.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

Sub tuum præsidium confugimus Sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in præsentibus necessitatibus, sed ab omnibus infirmitatibus libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix:

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia majestatis adorare Unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus infirmitatibus liberemur. Per &c.

OREMUS.

COncede, quæsumus omnipotens Deus, ut intercessio Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctorumque omnium Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolo-

ſtoſorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Virginum, & omnium electorum tuorum ubique nos lætificet; ut dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus.

DEus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium auxilij tui ſuper hanc creaturam infirmam oſtende virtutem; ut ope miſericordiæ tuæ adjuta Eccleſiæ tuæ Sanctæ incolumis repræſentari mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Sacerdos imponens manus ſuper caput Infirmi dicat.

SUper ægros manus imponent, & bene habebunt: Jeſus Mariæ filius ſit tibi propitius, ac clemens.

In nomine, virtute, atque potentia Sanctiſſimæ Trinitatis Patris †, & Filij †, & Spiritus † Sancti. Amen.

Extinguatur in te Creatura Dei N. omnis infirmitas naturalis, & diabolica per impoſitionem manuum mearum: imò per invocationem omnium Sanctorum, Archangelorum, Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & omnium ſimul Sanctorum, eorumque meritis, & precibus adjuveris. Amen.

Do-

Domine Jesu Christe, qui dixisti: Omnia possibilia sunt credenti, te rogo virtute, & efficacia tuæ infinitæ potentiæ, & amoris, ac Virginis Mariæ Matris tuæ erga nos: & per effectus Incarnationis, & Nativitatis tuæ, valoremque ac fructum tuæ Mortis, Resurrectionis, Ascensionis, & Missionis Spiritus Sancti in Discipulos, & efficaciam nostræ Fidei, ut mittas tuam sanctam Benedictionem super istam Creaturam infirmam, in te firmissimam fidem habentem; virtuteque Spiritus Sancti repleas: & te rogo, ac humiliter deprecor per quindecim Sacratissimi Rosarij Mysteria; perque merita, & intercessionem Sanctissimæ Genitricis Virginis Mariæ, Sancti Dominici, Joseph, Antonij de Padua, Firmi, Alberti, Henrici, Sigismundi, Vincentij, Genesij, Floriani, & decem millium Crucifixorum, Venerandi Augustini, SS. N., & Advocatorum nostrorum, ac Dei Electorum, ut pro tua clementia, & pietate ista Creatura, ab hac infirmitate naturali, vel diabolica sanetur; perfectamque illi mentis, & corporis sanitatem concedas: & quia manuum tuarum impositione, & solo fimbriæ tactu omnes malè habentes curasti; & Apostolis tuis dedisti potestatem

ſtatem calcandi ſuper omnia Dæmonia, & omnes languores curandi, & dixiſti: Super ægros manus imponent, & bene habebunt; imò præcepiſti, ut infirmos curarent, certiſſimè in fide fundatus manus impono ſuper hanc Creaturam, & definio †, termino †, ac debilito hanc infirmitatem naturalem, vel diabolicam; & in ea extinguo omnem febris calorem, vel frigiditatem; & ſi fortè teneatur aliqua magica arte, quocunque modo, fraude, & ligatura diabolica illam tenente, eam diſſolvo †, termino †, deſtruo †, enervo, & abſolvo; & diſſolutam, & adnihilatam eſſe decerno à cunctis membris, & partibus ſui corporis auctoritate mihi tradita: & adjuro †, conjuro †, exorcizo †, debello †, dilapido †, eijcio †, præcipio †, ac conſtringo † omnes rebelles ſpiritus, tam præſentes, quàm abſentes, quibus data eſt poteſtas nocendi huic creaturæ, ſive præſentialiter, ſive poteſtativè, ſive virtualiter, ut fugiant, & evaneſcant, & imposterum, non audeant, nec poſſint per ſe, nec per alios iſtam creaturam moleſtare: quod ſi ſecus fecerint maledico † illos, illa maledictione, qua Deus maledixit, & exterminavit eos.

Anima Chriſti Sanctiſſima ſanctifi-

cet,

cet,& ſanet te †:Corpus Chriſti glorioſiſſimum ſanet, & ſalvet te †: Sanguis Sanctiſſimus inebriet te †: Sudor Chriſti virtuoſiſſimus ſanet te †:Paſſio amariſſima Chriſti confortet te †: Jeſus Chriſtus bonus cuſtodiat te †, & liberet ab hac infirmitate naturali vel diabolica, & intra vulnera te recipiat, nec diutiùs ægrotare, & in hac infirmitate laborare permittat, ſed te ſanet. In nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus † Sancti. Amen.

Deinde Sacerdos utramque manum imponat ſuper caput Infirmi & dicat Orationem Beati Vincentij

SUper ægros manus imponent, & benè habebunt: Jeſus Mariæ filius, Mundi ſalus, & Dominus, meritis B. Vincentij Confeſſoris tui ſit tibi clemens, & propitius. Amen. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Initium Sancti Evangelij ſecundùm Joannem.

IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factũ eſt nihil,

hil, quod factum eſt. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non compræhenderunt. Fuit homo miſſus à Deo cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux: ſed ut teſtimoniũ perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, & habitavit in nobis, (& vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre) plenum gratiæ, & veritatis. Deo gratias.

Per Evangelica dicta, & per omnia à me lecta confundatur †, deleatur †, extinguatur †, diſſipetur †, deſtruatur omnis virtus diabolica, & infirmitas in hac Creatura. Amen.

Dominus Jeſus Chriſtus apud te ſit †, ut te ſanet, & defendat: intra te

ſit,

sit †, ut te conservet: ante te sit †, ut te deducat: post te sit †, ut te custodiat: super te sit †, ut te benedicat, sanet, & sanctificet. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio Dei Patris † omnipotentis, & Filij †, & Spiritus Sancti †, Virginisque Mariæ, & omnium Electorum Dei sit super te, & maneat semper. Amen.

Pater noster. Ave Maria ter ad honorem Santissimæ Trinitatis. Pater noster. Ave Maria &c. ad honorem Sancti, vel Sanctæ nominis Creaturæ infirmæ. Pater noster. Ave Maria &c. ad honorem supra nominatorum.

FINIS.

BRIXIÆ
Ex Typographia Jacobi Turlini.
Superiorum Permissu.

PWL.
from ADW.
Cord: B2.21
(M. P. 50)